Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26365
Copyright: Admont, Benediktinerstift

De dracontide.

Dracontides lapis est qui ex cerebro draconis extrahitur. Qui nisi viventi draconi excidatur, non erit gemma, quia statim fit. Audaces viri explorant specum draconis et dormientium capita subito transverberant, sicque in pleno vigore palpitantibus gemmas excidunt. Valere dicitur contra venenata animalia et resistere venenis efficaciter. Hoc insignibus orientales reges maxime gloriantur. Sunt autem colores translucidi.

De dionisia.

Dionisia lapis est qui invectus orientis, fusci coloris et niveis respersus guttis. Hic lapis in aqua tritus vinum flagrat, et tamen contra naturam ebrietatis fugari solet eius odore. Docere enim vini ebrietatem inducit naturaliter et absque potu.

De dyachotos.

Dyachotos lapis est qui mersus aquis variam efficit effigiem demonum, ita ut videatur responsa petentibus. Hic si admoveatur corpori defuncto amittit vires, et quasi visibiliter abhorret mortem. Berillo similis est.

De emachite.

Emachites lapis est ab Ethiopia vel Arabia, coloris ferruginei, mixtus venis sanguineis. Hic contritus et resolutus in aqua sanat eos qui sanguinem ad salivas emittit. Sanat et fluxum menstruorum et fluxum ventris. Vino et permixtus pulvis eius ulcera sanat, et valet contra morbum venenosum. Oculos et more collirii mundificat. Bibitus et lapidem vesice frangit. Carnesque mortuas in vulneribus crescentes pulvis eius corrodit et tollit.

De achite.

Echites lapis est ab extremis orbis partibus ab aquila in nidum portatus, ut aiunt naturales. Hunc expertis aquila hunc esse tutamentum pullis suis. Alii autem dicunt quod ea causa hunc ponit, quia ova aquile in temperato calore calescunt. Hic lapis naturaliter frigidus presens sit. Hic lapis punicei coloris est, intus lapillum habet, ex quo sonorus est. Efficacissime pregnantes iuvat, ne faciat abortum vel ne laborent in partu. In levo latere portari vult. Sobrietatem confert, auget divitias, et quem confert victorem facit, puerosque incolumes servat.

De elytropia.

Elitropia lapis est qui radiis solis in vase aqua pleno subiecto sanguineum solem reddit, ac si pateretur eclypsim. In mora ipsum vas in quo iacet videtur ebullire, et aquam spargere velut ymbrem. Hic furto acceptus, si presentes sunt videntes, rapiunt extra se et spondit fucata. Hic lapis gestantem provehit in longa tempora vite, sanguinem stringit, venena fugat, contra dolores facit. Prima elitropia est et nomen herba subiecta lapidi fuerit et legitimo carmine sacrata, gemma reddit hominem invisibilem et non comparabilis aliquibus. Dicitur quod elitropia herba tenet ex flos qui sponsa solis vel solsequium dicitur. Hanc gemmam fert Ethiopia, Cyprus et Affrica. Instar smaragdi viridis est et sanguineis guttis aspersa.

De epistite.

Epistites lapis est rutilans et rubicundus. Ex parte cordis gestatus tutum servat. Tempescit seditiones, cohercet locustas et volucres et sterilitates et nebulas et grandinem et turbinem a fructibus terre, et appositus soli ignem et radios emittit. Si hunc lapidem in aquam ferventem proiecis